



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XII. De beneficiis ordines sacros requirentibus, & de poena eorum qui negligunt ad ipsos ordines promoueri: & de praebendis in ecclesiis cathedralibus absque ordinibus sacris non retinendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

sine licentia habita & obtenta sui episcopi, licet clausuram sui monasterii non exierit, per mensem carceri deputetur, in quo de commisso pœnitentiam agat. Si autem clausuram ipsam exierit monasterii, pœnæ prædictæ subiaceat, & tamdiu plus in carcere remaneat, quamdiu stetit extra monasterium, & nihilo minus in hoc casu perpetuo sit vltima semper in choro, nullamque cum aliis habeat in capitulo vocem.

ANNO  
CHRISTI  
1114.

### R V B R I C A X I I .

Cum sæpe in non matura ætate constituti, per cupiditatem & auaritiam parentum suorum, dignitates, officia, beneficia, vel præbendas, ad quæ minus sunt idonei, nonnunquam de factò adipiscantur, statuimus, quod si quis infra ætatem sexdecim annorum constitutus ex dispensatione sedis apostolicæ fuerit beneficium adeptus, quod requirat sacerdotalem, vel sacrum ordinem, aut etiam præbendam in ecclesia cathedrali prouinciæ Rauennatis, nisi cum attigerit sextumdecimum annum ætatis se fecerit ad subdiaconatum promoueri infra annum, & alias postea promoveatur secundum ætatem, prout requirit onus ipsius beneficii, exnunc & ipso beneficio seu præbenda huiusmodi sit priuatus. Adulti vero, secundum iura & onera beneficiorum huiusmodi, postquam fuerint huiusmodi beneficia, aut in ecclesiis cathedralibus præbendas adepti, sub pœna & priuatione consimili, quamcitiùs commode poterunt, vel saltem infra annum, ad ordines ipsos stu-



deant promoueri, alioquin eos, vt supra, beneficiis huiusmodi priuamus & præbendis.

## RUBRICA XIII.

Cum nonnulli religiosi & sæculares clerici imprudenter ad sacerdotium se faciant promoueri, post promotionem huiusmodi Missas celebrare, ac alias sacerdotale officium exercere non curantes, nec animaduertentes, quod quemadmodum quotidie pro populi peccato, ita & pro suo debet offerre sacerdos, & quod hic sit panis, quem Deus quotidie peti & ministrari mandauit; nec considerantes, quod in oblatione sacræ hostiæ non tantum id quod cum fide & deuotione petitur, imo beneficia conceduntur ampliora, sicuti in oblatione Abel, Abrahæ & Zachariæ patet, sacerdotale sic ministeriū vilipendere videntur, non absque plurium scandalo, & in detrimentum animarum suarum; ideo præsentis Concilii auctoritate & approbatione statuimus, quod si aliquis iam promotus sit ad sacerdotium, aut in futurum quemquam promoueri contigerit, a die suæ promotionis, aut a die publicatæ huius constitutionis, infra tres menses celebrare debeat primam Missam, & deinde, prout poterit, Missarum solennia frequentare, vel saltem semel in anno; alioquin beneficiis omnibus quæ obtinet in prouincia Rauennati sit eo ipso priuatus, si sæcularis est; religiosus vero extunc sit ineligibilis actiue & passiuæ, & vltimus in choro & in refectorio habeatur.

Quoniam omnis sapientia a Domino Deo est

*Concil. Tom. 28.*

LIII ij